



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCXLVI. Ioannis Papae VIII. Ad Carolvm Regem. Commendat eius  
erga Romanam ecclesiam obseruantiam. rogat vt legatum sibi auxilio  
mittat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

strenue regere non omittatis. Pro ipso etiam Hieronymo episcopo eidem regi direximus, vt Lausanensem episcopatum illi diuinitus concessum, & nostra apostolica auctoritate largitum, securiter amodo retinere permittat. Et ideo vestra fraternitas etiam in hoc adiuuare pro viribus non prætermittat. Data xx. die mensis Iunii, indictione XIII.

## EPISTOLA CCXLVI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

## AD CAROLVM REGEM.

Commendat eius erga Romanam ecclesiam obseruantiam. rogat vt legatum sibi auxilio mittat.

*Dilecto ac spiritali filio Carolo glorioso regi.*

**M**ULTIPLICES regiae magnitudini vestrae his nostris apostolicis literis gratias agimus pro vestra tam ingenti cura & sollicitudine, quam circa sanctam Romanam ecclesiam matrem vestram habetis; atque pro vestra deuotionis sinceritate, qua nos purae mentis affectu more parentum vestrorum diligitis, & in omnibus adiuuare alacriter cupitis. Et quia pro exaltatione, atque utilitate sedis apostolicae, totiusque terrae sancti Petri defensione, vos prompta mente desudare velle cognoscimus: in quo scilicet vestri desiderii affectu piissimo, & diuinam circa regiam gloriam vestram habebitis adiutricem & placabilem maiestatem, & dignam non solum in hoc saeculo, sed etiam in caelesti postmodum regione retributionem procul dubio recipietis. Quod vero mandastis, vt marchiones vestri, qui circa nos existunt, ad defensionem necessariam peragendum nobiscum pariter decertare debuissent; hoc autem sine vestra maiestatis praesentia, vel sine idonei optimatis vestri nullo modo, sicut oportet, proderit nobis: eo quod ipsi marchiones homines de ciuitatibus, & propriis finibus nostris, cum quibus territorium sancti Petri poteramus satis defendere, in suo assiduo seruitio habent, & nonnullos eorum potentia sua defendunt: & ita impediunt, vt nostrum seruitium secundum voluntatem nostram minime perficere valeant. Vnde preca-



mur excellentiam vestram, vt pro amore Dei, & principis apostolorum honore, talem nobis de præsentis missum dirigatis, cum quo per vestræ auctoritatis potentiam, ea quæ sanctæ Dei ecclesiæ, & nobis pertinent, incunctanter valeamus perficere: quatenus eisdem homines nostros, qui nobis sublati sunt, omnimodis recipiamus, vt omnis honor, & vigor sanctæ ecclesiæ vestris diebus in omnibus integer accrescat, & indiminutus permaneat; quoniam ipsius honor, & exaltatio, vestra hic & in æternum est salus & gloria. Nam & nos ea, quæ vestræ gloriæ proficua sunt, libentissime perficere cupimus, & nostris assiduis precibus vos Domino commendare, apostolorum suffragantibus meritis, semper satagimus. Hæc itaque pro utilitate sanctæ ecclesiæ modo fieri petimus, vt cum vestrum gloriosum aduentum, fauente Domino, conspexerimus, optata & ingenti pariter letitia exultare valeamus. Data die XXIII. Mensis Iunii, indictione XIII.

## EPISTOLA CCXLVII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD SFENTOPVLCRVM COMITEM.

Gratulatur de eius & subditorum illius obseruantia erga sedem apostolicam. recipit eos in fidem suam. ostendit Methodium archiepiscopum orthodoxam fidem fuisse professum, cuius iura & priuilegia confirmat, eumque ad eos regendos mittit. Nitrensis ecclesiæ episcopum consecratum significat, & alium ad se vult mitti, quem alii ecclesiæ præficiat. iubet omnes ipsi archiepiscopo obedire. concedit vt diuina officia Sclauonica lingua recitari possint, dummodo euangelium Latina prius recitetur.

*Dilecto filio Sfantopulcro glorioso comiti.*

**I**NDVSTRIÆ tuæ notum esse volumus, quoniam confratre nostro Methodio reuerendissimo archiepiscopo sanctæ ecclesiæ Morauensis, vna cum Semisino fideli tuo, ad limina sanctorum apostolorum Petri & Pauli, nostramque pontificalem præsentiam veniente, atque sermone lucifluo referente, didicimus tuæ deuotionis sinceritatem,

Nn iij